



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Macarius Patriarcha 10. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

2. Peccati venenū ideò noli retinere, quia te nondum occidit, occidisset enim, nisi Deus pepercisset. Quò is parcat diutius, tantò puniet gravius. Potestne tibi placere peccatū tuum? quod Deum hominem mori coëgit? & cuius sola cogitatio sanguinem expressit; tibi nondum suspirium, ne dicam lacrymam extorsit?

3. *Pœnitentia appellata est quasi punientia, eò quòd ipse homo in se pœnitendo punit, quod malè admisit.* Hugo. lib. 3. de Mini: Ecclesie. Et nondum pœnitendo punis? peccasti cum Ægyptiaca? cum Davide? cum Petro? punit peccatum in te, uti pœnitentes & illi punierunt in se, nec æternum punieris.

---

## S. M A C A R I U S P A T R I A R C H A

10. Aprilis.

*Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* Matt. c. 5.

**M**ACARIUS Armenus Patriarcha Antiochenam sedem beavit, sed multò magis pauperes quos unos domi palatinos, foris antecambulones habuit. Ob id & quæ jam tunc patrabat mira, ne in ore omnium esset, omnium oculos fugit, & sub quo lateret ignobilis, sepulchrum Christi petiit. Sed Saracenorum.

Tacenorum scelere ad ipsa ossa usque lacera  
 virtus & tribus clavis pavimento affixa  
 pressaque pectus ignito saxo, ut ferè solet,  
 se ipsa prodidit. Prodière Angeli in auxi-  
 lium missi, ipsique jam hostes Macarium, &  
 quod caput est, in Macario Deum agrove-  
 runt. Interea parentes suum esse dedecus  
 arbitrati orbam filii insulam filiumq; exulè  
 videre, mittunt, qui, aut verbis, aut vi ad-  
 ducant. Et jam parabant hanc illi, sed coelò  
 pugnante capti oculis manibusq; quas ad  
 facinus extenderant, Macario se dediderunt.  
 Hic Cruce, quæ illi scipionis loco serviebat,  
 oculos & manus reddidit, itaque expeditus,  
 exul orbem deinde pererravit. Bojariz quoq;  
 hospes, demùm Gandavum in Flandriam  
 pervenit, relictis ubique symbolæ loco in-  
 gentibus miraculis, quæ unico suo scipione  
 dedit cruce insignito. Flandriam cum diris-  
 sima lues popularetur; sese cum gemino so-  
 cio vicariam urbis victimam morti objecit.  
 A morte geminum circulum coeli ostende-  
 runt, & Crucem in altero, ut sciremus, quò  
 Crux scipio illum abduxisset. Sed numne  
 Mariam amavit? Non nisi in crypta eidem  
 dicata sepeliri voluit. Et verò ubi mollius  
 ossa nostra jacerent, quàm in sinu Mariæ?

EX SUR, & BAY. S.

MEDIT.

## MEDITATIO

*Quanam debeat esse causa lacrymarum nostrarum.*

1. **L**uge miseras tuas, mundus, in quo versaris, **L**est lacrimarum vallis, innumeris propemodum referta calamitatibus: imò ipsamet mundi hujus voluptates sunt plerumque fontes multarum lacrimarum. Lacrymantes nascimur, vivimus in lacrymis, & morimur in mediis doloribus, suspiriis, singultibus. Et amamus vitam hanc! Et fugimus ac detestamur mortem, quæ finem ponere debet lacrymis ac laboribus nostris!

2. Luge peccata tua, exemplo Davidis, qui lacrymis stratum suum rigabat, & cum fletu miscebat panem suum: si mors parentis, aut amici, si rei familiaris jactura tot lacrymas ex oculis tuis efficiant, an non paradisi jacturam profuso lacrymarum imbre deflere debes? Luge etiam peccata aliena, si amas Dominum Iesum, quoniam his peccatis iterum affigitur Cruci.

3. Te ipse consolare, tu, qui luges aut miseras, aut peccata tua: exilii tempus sensim labitur, sensimque accedis ad patriam. Ipsamet Deus lacrymas tuas in cœlis absterget, imò in hac etiam vita te consolabitur, si peccatorum tuorum dolor sit causa lacrymarum tuarum. Num aliquando expertus es, quàm suave sit, flere peccata tua? *at si tam iucundum sit, flere pro Christo, quàm iucundum erit, gaudere cum Christo?* Aug. S LEO